124

1511. primis Augusti

## Sigism: I. Rex Poloniæ Joanni Dantisco Nuntio ad Conventum Marienburge misso:

Fidelis noster dilecte! Obliti fuimus committere tibi, ut reducas in mentem Thorunensibus, ut super negotio Depositorÿ, quod sibi in Civitate sua adversus immunitates Regnicolarum omnium vendicare nituntur, responsum ex ho Conventu nobis mittant, ut se per Rmum Dnum Archieppum facturos polliciti sunt. Tametsi illis non cupiamus facere injuriam imò verò pro eorum obsequÿs incrementa eis faveamus, tamen clamantibus Regnicolis, quod immunitas Eorum opprimatur in complacentiam Thorunensium cogimur remedium adhibere ne ipsi quoque oppressos et injuriâ se affectos querantur. Conferas etiam de hac re cum Dnô Eppô Varmiensi, Cui non incognitum est, quantas impressiones in Comitÿs ob eam rem habere soleamus, persuadeasquê Ejus Paternitati, ut inducat Thorunenses, ut suscipiant potiùs aliquam earum conditionem, quæ Eis per Rmum Dominum ArchiEppum oblatæ sunt, quàm ut totum perdere debeant.